

Sic viperina quoque medicamenta interius laudem hanc merentur, quod superfluos humores disiiciant, siccent, roborent, vnde *theriaca*, *puluis*, *trochisci* & *sal viperar.* huc spectant. Sic & *aqua ophtbalmica interna Mynsichti*, sic antiscorbutica, hypochondriaca, quæque cruditatibus & obstructionibus tollendis dicata sunt, huc etiam referenda merito, & lymphæ correctoria alia, vt *ess. trifol.*, *fibr. belem.*, *lignor. antiscorbutica* & *viperina.*

Pertinent huc & acidulæ, mitiores Wildungenses, Tönnigsteinenses & nostrates, quæ diluendo salia, penetrando intimius & corrigendo putrilaginem scorbuticam apprime profunt. Vnum & alterum nouimus exemplum felicitis successus. Quidam Candidatus hinc Doctor medicinæ per sex & plures menses laborauerat ophthalmia grauiori, frustra adhibitis variis internis & externis, ante aliquot iam annos, suasu nostro bibit acidulas Bibranas, vtroque oculo nebulis quasi obducto, optime habebat. Anno sequente repetens easdem in hunc vsque diem ne minimum quidem recidivæ sensit vestigium. Idem in aliis experti sumus, inprimis vno saltim oculo prædito, quo remedio, & fonticulis, & aliis seruauimus alterum hactenus illibatum.

Cumque præcipue sulphur sit matrix lucis, luminoso hoc sulphureo volatili caractere foeta sunt eximia, vt *lignum aloës*, eiusque *essentia*, & aromaticæ aliæ, *cinabarina*, *mercurius diaphoreticus*. Mediate vero & illa id præstant, quæ stagnantem lympham ex dictis euacuant, & corrigunt. Quorsum etiam *decoctum lignorum*, vel *radicum sarsaparillæ*, *cbina*, *herbathea*, *ver-bena* faciunt, & generosa cephalica.

C 3

Sic